Nonnulla de incisionibus in hydrope anasarca : dissertatio inauguralis medica ... / auctor Otto Albrecht.

Contributors

Albrecht, Otto.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typis Augusti Petschii, 1831.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/ftj472tc

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

NONNULLA DE INCISIONIBUS
IN
HYDROPE ANASARCA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XVI M. SEPTEMBRIS MDCCCXXXI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENSURUS EST

AUCTOR
OTTO ALBRECHT,
ORIENTALI-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:
R. v. SIEDMOGRODZKI, MED. ET CHIR. DD.
F. BUETTNER, MED. ET CHIR. CAND.
W. PEIFFER, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI,
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

NONNULLA DE INCISIONIBUS
IN
HYDROPE ANASARCA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
FACULTATIS MEDICORUM GEORGIAE
IN
UNIVERSITATE LITTERARUM FRIDERICA GUILELMA
ET SIGILLATA
IN MEDICINA ET CHIRURGIA DOCTORIS
RITE SUBI CONFERENDIS
PRO GRADU M. SUMMISQUE HONORIBUS
R. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDIT
AUCTOR
OTTO ALBRECHT.
GUMSTAD-NORVEGUS.

OPPONENTES:
R. v. SIEBOLDGRODZKI, med. et chir. Dr.
F. BETTINGER, med. et chir. Cand.
W. PELAGER, med. et chir. Dr.

BEROLINI.
TYPIS AUGUSTI PETSCHII.

VIRO

ILLUSTRISSIMO, GRATIOSISSIMO,

EXPERIENTISSIMO

JOS. BÜTTNER,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICO-CHIRURGORUM EXERCITUS BORUSSICI PRAEFECTO SUPREMO, REGI BORUSSIAE A CONSILIIS INTIMIS SUPREMIS, INSTITUTI FRIDERICO-GUILELMIANI ET ACADEMIAE MEDICO-CHIRURGICAE DIRECTORI, ORDINIS REGII AB AQUILA RUBRA IN TERTIA CLASSE, DE CRUCE FERREA IN CLASSE SECUNDA, ORDINIS CAESARI RUTHENICI ST. VLADIMIRI, NEC NON ST. ANNAE, ORDINIS REGII SUECICI VASANI ORDINISQUE BELGICI LEONINI EQUITI AURATO ETC. ETC.

SUMMA REVERENTIA

NEC NON

VIRO

DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO,

PERILLUSTRI

EDUARDO WOLFF,

MEDICINAE UTRIUSQUE DOCTORI, NOBILIUM TIRONUM MILITARIUM EQUESTRIUM LEGIONIS MEDICO PRAEFECTO, NOSOCOMII CARITATIS BEROLINENSIS MEDICO DIRIGENTI, NEC NON CLINICI MEDICI MODERATORI ETC. ETC.

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATAQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

PROOEMIUM.

Ex ingente medicaminum antihydropicorum apparatu neque unum aliquid ceteris omnibus temere praeferendum, neque ullum ex medicorum usu prorsus praescribendum esse, equidem censeo; sed alia aliis convenire pro diversa cum morbi tum rerum circumstantium natura. Qua propter necesse est, quisque medicus omnes curationis regulas bene sciat, omniaque remedia ratione atque experientia recommandata diligenter pertentet, ne desperet, ubi spes adhuc salutis superest.

Per annum, quo in caritatis nosodochio munere medici inferioris functus sum, multos morbos hydropicos sub auspiciis experientissimorum virorum Doct. *Wolff* et *Hasse* observandi ac ulterius inquirendi occasionem habui. Quo fit, ut nunc, cum mihi ad satisfaciendum institutum academicum opusculum edendum sit, nihil aptius videatur, quam observationes de incisionibus incruentis in hydrope anasarca publici juris facere. —

Primitias, quas profero, L. L. B. B. gratiose accipiatis, et quae vitia intercurrant, humaniter excusetis.

Quamquam a permultis, iisque optimis medicis de hydrope accuratissime est scriptum, tamen unum ejus signum non satis ab iis curae est subjectum, quod, ut quidem experientia in nostro caritatis nosocomio docuit, haud mediocriter dignum esse videtur, quod diligentius observetur et a medicis experientissimis saepius investigetur.

Etenim si hydrops anasarca ad permagnum pervenit gradum saepius in abdomine, extremitatibus superioribus et inferioribus, rarius circa claviculam et mulierum partes genitales striae subcoeruleae marmoratae non eadem semper magnitudine, latitudine circiter duarum liniarum, non nihil corporis superficiem egredientes, et non nisi epidermide tectae apparuerunt; si quis oblique eas observabat splendorem singularem maxime matrici margaritae similem, praebuerunt. Nec antiqui nec nostri temporis medici, hasce strias in scriptis nominavere; imo nonnulli putavere, eas vasa venosa, hydrope latius extensa, esse, quibuscum nonnullam similitudinem habere, primo et non acuratius inspicienti videri possunt. Alii nominant maculas cae-

ruleas inter signa periculosissima hydropis; tamen inter omnes ne unus quidem adest, qui talibus locis incisuram admovit. Contra omnes una voce prohibent et majores et minores incisuras, postquam tales loci caerulei apparuerint, dum antea peractas maximis laudibus tollunt. Sic exempli causa *Lentinus* dixit, eo momento, quo humores immoti stent, et cutis et vasa et ipse humor tali modo esse commutatos, ut tempus adsit quo humores dimoveas; si longius et ad id momentum remittis quo maculae caeruleae vesiculae et inflamatio erysipilatosa appareant, aegrotum ad summum periculum adduci, cum humores haerescentes una et acerrimi et rodentes fiant. Non aliter *Sachtleben*; hic signa incisionem in hydrope vetantia haecce composuit: vesiculas humori repletas in superficie corporis, locos caeruleos et imprimis inflammationem erysipelatosam; quippe quae indicent humorem jam acrem esse.

Attamen res peractae demonstrant locos caeruleos supra descriptos omnino non incisiones vetare. Ante annum primo a celeberrimis et experientissimis Doct. *Wolff* et *Hasse* recte sunt cogniti qui uterque receptacula aquae eos putans, statim parvas incisiones faciendas curavit. Successus optimus facto coronam imposuit, cum sensim sensimque ex aperturis humor guttatim effluereet, ita ut nonnullis diebus post tumor hydropicus dimotus esset, quamvis non nimis magna inflammatio inci-

sionibus insideret. Quo facto incitati in omnibus hydropicis hosce locos marmoratos accurate observavimus et statim incisuras iis admovimus, quo saepius in casibus periculosissimis ad successum secundissimum adducti sumus.

Qui successus, ut faustus eveniat, haecce praecipue res in incisionibus sunt curandae.

1. Incisurae statim locis marmoratis ortis admovendae sunt; non remittendae sunt ad id tempus, quo jam pluribus corporis partibus tales inveniuntur; omnino successum eo feliciorem exspectare possumus, quo prius in morbo striae apparent.
2. Incisuras ipsas facias quam maxime in medio diametro cujusvis striae; etenim in finibus inciduntur vasa parva quod ex emanantibus nonnullis guttis sanguinis cognoscitur quo facillime inflammationem incisionum adducere potes.
3. Incisurae nihil nisi epidermidem solvant.
4. Numerus incisurarum augeatur et minuatur ad gradum hydropis et ad multitudinem striarum; tali modo ut si in una parte exempli gratia in brachio aut crure praecipue striae apparuerunt fere in unaquaque incidi potest; contra si pluribus jam locis multae striae adsunt, non in unaquaque incidas.
5. Ad incidendum lanceola utimur, etenim per instrumenta subtiliora ut per acum vaccinatoriam et ad acupuncturam adhibitam puncta

tantum facimus, quae plerumque celeriter resanescunt, eamque ob causam reiteranda sunt, quod in aegrotis, praecipue infantibus qui plerumque instrumenta timent, non nisi difficile perfici potest, quamvis revera aegroti nullo dolore afficiantur. —

6. Invenimns vero in locis incisis inflammationem. Plerumque hanc fomentis tepidis aquae saturninae refugare possumus; in uno tantum aegroto transivere in abscessum permultae striae; imo nonnullae gangraena corruptae sunt (conferas historiam morbi secundam).

Usus harum striarum marmoratarum ad felicem aquae remotionem in nostro nosodochio eo majoris gaudii erat inventum, cum remedia cetera et saepissime adhibita rarissime certum eventum adducerent, si magnus hydropis gradus remedia interna rejiceret. Majores jam a Celso laudatae incisiones in tumoribus oedematosis excitabant acerrimos dolores, haud mediocrem inflammationem et fere semper gangraena mortiferum eventum attulerunt.

Quae ad mala removenda postea acumine lanceolae, parvae incisurae cuti admovebantur similem in modum ut jam *Boerhave*, *Tilesius*, *Stoll*, *Conradi*, *Sachtleben* et alii contenderunt.

Sed et hae saepius inflamatione periculosissimae aut emisere minorem aquae copiam, ita ut casibus nullius jam spei auxilium non afferrent, idem quod fit incisuris acu vaccinatoria aut ad acupuncturam

factis, cum quae et hae parvam tantum aquae copiam emittant.

Tali modo exempli gratia evenit in infante femenini generis sex annorum, cui, cum remedia interna nihil efficerent ad hydropicum tumorem jam permagnum abdominis inferiorumque extremitatum, acus ad acupuncturam in utroque crure infigebatur: quo facto aqua quidem emittebatur, sed copia quam minima neque nisi per horas viginti quatuor: ita ut hydrops omnino non mutatus sit; statim cum in partibus genitalibus striae marmoratae exortae sint, incidebam lanceola, leges supra dictas observans, plurimos horum locorum et non parvo afficiebar gaudio, cum nonnullis diebus post, effluvio non prohibito inflammationeque non exorta, infans tumore liberatus sit. — Cum observatio de incisionibus harum striarum marmoratarum novissima sit mihique tironi sententia certa permitti non possit, ad enumerandas observationes redeo et rationi scarificandi supra nominatae hasce morborum historias addo. —

OBSERVATIO PRIMA.

Guilelma Schmidt, ancilla sedecim annorum, debili corporis constitutione, ante plures hebdomades morbillis curabatur. Quarum decursus etsi legitimus sine ulla complicatione esset, justo tamen parcior in desquamationis stadio secreta urina, ejusdemque fusco-nigricans color timorem de hydrope, ut in scarlatina, fecit maximum. Qua propter diuretica antiphlogistica in usum trahebantur: sed frustra, sub finem enim quartae hebdomadis aegra hydrothorace acuto affecta est, qui sanguinis detractionibus diaphoreticis, ac diureticis antiphlogisticis et ulceribus (vesicatoriis provocatis), artificialibus mox remotus est. Atvero debilis adhuc, et irritabilis aegrota vix ex nosocomio demissa et in locis humidis iterum refrigerium perpessa, ita vehementes pectoris sinistri dolores querebatur, ut, quominus in hoc latere jaceret, impediretur, neque somno nisi corpore erecto gauderet. Accessis quoque, quod omnis tactus magnam oppressionem ingentemque anxietatem excitaret. Respiratio frequentissima ac brevissima, pulsus valde frequens, parvus tensusque, temperies totius corporis adaucta, et cordis motus ita vehemens fuit, ut

oculis cerni posset. Missis igitur sex tantum sanguinis unciis, cum methodum antiphlogisticam superatis jam morbis debiles adhuc vires moderarentur et hirudinibus decem ad locum affectum applicatis aegrota erat subveniendum. Simul hos sumsit pulveres:

Rcp. Pulv. herbae digital.
Calomel.
Sulph. aurat. $\overline{aa}$ Gr. ß
Sacch. albi ℈ß
M. S. Omni bihorio detur talis pulvis.

Post aliquot dies dosibus jam septemdecim sumptis status fere idem fuit, imo locales affectiones, oppressio, dolor, sensus pulsans et tendens pectoris sinistri, auctae, rem in pejus abituram esse, praenuntiabant, cum omnia symptomata praesentia respectu potissimum morbi modo superati inflammatorii ejusdemque ad exsudationem valde propensi, effusiones serosas suspicari merito juberent. —

Circa undevigesimum diem pulsus rarior et irregularior, vim ·iam digitalis herbam exercuisse indicavit. Aliud au. n nullum Symptoma narcoseos observatum est. Ab eodem simul tempore aegrota meliorem se habuit; liberius respiravit, etsi minus largior urina missa est, tamen alvi excretiones adauctae sunt. Medicamenta autem praescripta seponi, propter eminentem Salivationem necesse fuit; Qua propter pulveres e digitalis herba, Scillae radice

cum Sulphure aurato in usum sunt vocati, in hac quidem forma:

Rcp. Pulver. herb. Digital. Gr. j
„ rad. Scill.
Sulphr. aurati $\overline{aa}$ Gr. ß
Sacch. albi ℈ß
M. f. Pulvis. S. Mane et vespere talis dosis.

Febris exacerbationes per insequentes dies prima nocte intrantes et breve tantum tempus durantes nullius paene momenti fuere; ad augendam resorbtionem in dextro pectoris latere vesicans applicatum et ope unguenti irritantis per longum tempus suppuratio sustentata est.

His per plures dies frustra adhibitis radicis Senegae, quae in morbo antecedente multam urinam moverat unciam dimidiam cum aquae unciis sex concoqui praescriptum est, cujus decocti omni bihorio aegra majus sumsit cochlear. Praeterea linimentum volatile in brachio dextro valde tumente infricatum est. Sed aeque atque antea radicis hujus effectus faustus fuerat, nunc fuit infaustus magis magisque increvit malum. In brachio dextro circa deltoideum musculum plures striae subcaeruleae, marmoratae nunc apparuerunt, e quibus lanceola incisis ita aquae magna per nonnullos dies effluxit copia, ut tumor hydropicus brevi omnino omnis evanesceret, nec loci incisi inflammarentur. — Remoto hoc modo hydrope urina sat multa missa

et sudor nunc saepius motus ab omnibus molestiis aegram usque ad diem undevicesimum mensis Novembris ex toto liberaverunt.

Respiratio jam sat libera fuit, et longiore morbo valde debilitatae vires, sed diligentissima cura sustentatae, in dies magis magisque increverunt. —

OBSER-

OBSERVATIO SECUNDA.

Gustavus Zeh, cubicularius, annum agens aetatis vicesimum quartum, sat robusta constitutione praeditus, ante tres hebdomades priusquam in nosodochium receptus est, hepatis morbo inflammatorio de cujus autem natura, qualis fuerit, nihil compertum habemus, laboraverat, atque bonam qua antea gaudebat valetudinem, relicta jecoris modica induratione, recuperasse videbatur. Quam vero opinionem falsam fuisse, eo effectum est, quod octo diebus praeterlapsis, cum refrigerium se passum esse diceret, intumescentia pedum oedematosa, quae indies magis praegressa, mox totum abdomen occupaverat, orta, in nosocomium recipi aegrum jubebat.

Nunc vero jam eo usque increverat hydrops, ut, cuti abdominis et extremitatum valde tensa, sicca et membranacea, fluctuatio bene percipi posset. Ad haec accessit quod urinae aeque alvi excretio rarissima, crocea, chartam immersam flavo tingens colore, quo eodem facies et communia corporis integumenta obducta apparebant, hydropem ex hepatis infarctibus originem ducere, suspicionem moveret. — Cujus rei ratione habita haecce imprimis remedia multum commodi aegroto afferre posse visa sunt:

Rec. Decocti rad. Rhei ℥vj (ex ʒj paret.)
Tartari boraxati ℥ß
M. D. S. Omnio bihorio cochlear majus sumatur.

Atque profecto alvi quidem excretio aucta et flavus iste color faciei et cutis minutus est, at hydropem cum urina adhuc parca proflueret non solum non fugare contigit, quem potius indies majora incrementa capere animadvertimus. Tum primum coeruleae illae, quarum supra mentionem fecimus striae in medio femore dextro et in abdomine conspectae sunt, quae simulatque apparebant, die mensis Septembris decimo tertio lanceola punctae haud exiguam sericopiam guttatim emittebant. Ad quam quidem operationem, postquam in abdominis atque etiam in alterius femoris superficie aliae enatae erant striae, posteris diebus quadragies vel quinquagies repetendam, cum bono, qui eam sequebatur successu, tum quod inflammatio, cujus timor initio injecebatur, adhuc deerat, incitati sumus. — Inde factum est, ut, adhibitis praeterea balneis, effluvio seri quam copiosissimo, diebus nonnullis post intumescentia fere omnis evanesceret. Quarto demum post operationem die loci scarificati inflammari coeperunt, neque fomentationibus ex

Infusi flor. Sambuci ℔ij (ex ℥ij)
Aceti satur. ʒij
Tinct. opii simpl. ℥ß.

quominus praegrederetur et latius extenderetur in-

flammatio prohiberi poterat: ut potius hic illic pus colligeretur, atque quibis locis plurima vulnuscula convenerant, gangraena haud exiguam telae cellulosae partem consumeret. Haec ipsa magna cutis tensione provocata, quod praeputium quoque penis mala exulceratione destrueretur, accusanda esse videtur, neque vino camphorato cessit, ita ut detram secreti indolem commutare huic demum unguento relictum esset:

Rec. Unguenti Saturn. ℥ij
Camphorae trit. ʒj
Opii puri Gr. xv.
M. f. unguentum.

Ab hoc inde tempore, quominus ulcera cicatricibus obducerentur, nihil fuit impedimento. Sed interea quoniam febris cum inflammatione vulnerum necessario conjuncta, ne porro aegrotus radice Rhei uteretur, vetabat respectu hepatis affecti ad tardam alvum ducendam praescripsimus:

Rec. Decocti Tamarind. ℥vj (ex ℥j)
Cremor. tart. ℥ij
Sacch. albi ℥j
M. D. S. omni bihorio cochlear majus sumendum.

Extincta jam inflammatione, et febre cessatate, cum medicamenta quidem alvum laxiorem, quam par erat, redderent, neque vero urinae adhuc nigrofascae largior copia secerneretur, ex aquae Sel-

teranae usu renum actio in integrum restituta hydropem prorsus brevi tempore propulit. — Die autem vicesimo quinto ejusdem mensis, dum aegrotus tristibus animi affectibus vexatur, subito congestiones ad caput exortae sunt, quae quidem applicatis duodecim hirudinibus dissipatae, efficiebant tamen, ut altero die magna nigricantis materiae copia vomitu ejiceretur. Itaque, ne rediret vomitus, praeter aquam Selteranam mixtura haecce in auxilium vocata est:

Rec. Salut. kali tartar. ℥vj (ex ʒiij)
Aether. acetici ʒj
Tinct. opii crocatae Gtt. xv.
Mucilag. Gi. mimos. ℥ij
M. D. S. Omni bihorio cochlear majus sumatur.

Ex hoc tempore, diuresi sat larga, quia omnia bene procedebant, aqua Selterana relicta est, quod vero non sine detrimento factum esse statim nobis elucebat. Etenim, urina rarius effluente, illico hydrops augmenta cepit. Itaque, postquam remedia antihydropica varii generis frustra suppeditata erant, Pilularum ex:

Rec. Extracti Belladon.
Calomel.
Herbae digitalis $\overline{aa}$ Gr. x.
Extracti Senegae. ʒiß

confectarum initio tres postea vero quinque quovis

die tribus vicibus datae sunt, tam felici quidem successu, ut urinae tam copia quam color magis magisque ad naturalem conditionem accederet. Cui fortasse rei haud minus, quam balneis, quae stimulandae diaphoresi inservirent aegrotum et ne minimas ex usu Calomelanos molestias subiisse, jure tribuendum esse videtur. Hunc vero perfecte sanatum esse, imprimis Belladonna et Hydrargyro muriatici mitis, nulla dubitatio exstabat, morbosae enim hepatis affectionis ne vestigia quidem, postquam omnis seri copia et renibus et cuti remota erat, inveniri poterant.

OBSERVATIO TERTIA.

Carolina Loyke, ancilla viginti duos annos nata, sat robusta corporis constitutione ornata, laboribus per longius tempus in locis humidis simulque frigidis occupata saepenumero perfrixit. Quam ob rem brevi post adversa valetudine laboravit, et interdum horror subsequente calore eam invasit; oedema pedum exortum est, quod cum omnino negligeretur in anasarcam totius corporis et Ascitem transibat. Cum aegrota in nosocomium reciperetur tumor faciei hydropicus, imprimis palpeprarum atque extremitatum, jam satis magnus erat. Cutis sicca, tunicae membranaceae simillima, urinae secretio plane suppressa, alvique excretio rarissima. Ut aliquid autem fieret et acuratius interim aegra observaretur, Infusum specierum diureticarum propinatum est. Cum vero horis vespertinis diei insequentis pulsus febrilis una cum totius corporis calore aucto sitique haud levi verum morbi genus apperte satis manifestarent, illud medicamen cum mixtura hac antiphlogistica commutatum est:

Rec. Natri sulphur. ℥j
Solve in
Aquae destillat. ℥vj; adde
Nitri depurati. ʒij
Succi liquirit. ʒiij

M. D. S. Omni bihorio cochlear majus summendum.

Quae remedia eo aptiora videbantur, quo minus localis causa acute decurrentis morbi inveniri potuerat; nihilominus tamen illis medicaminibus laxior facta alvus mali incrementum impediri non potuit, quin etiam balnea ad transpirationem augendam frustra adhibita sunt. Itaque ad diuresin provocandam converti visum est. Haec igitur medicaminum compositio ut et inflammatoria morbi complicatio respiceretur praescribi jussum est:

Rec. Pulv. radic. Scih. Gr. j.
Tart. depurat. Gr. xv.
Nitri depurat. Gr. iv.
M. f. Pulvis. S. Omnio trihorio talis pulvis summatur.

Quae cum nihil efficerent Scillae radicis Granum dimidium cum Calomelanos granis duobus et Sacchari albi Scrupulo dimidio conjunctum adhibitum est. — Ob Salivationis molestias, non multo post haec remedia Seposita sunt, quod sine dubio fieri potuit, cum excepta alvi aucta exoneratione exoptati remediorum effectus nihil prorsus observatum est. Ne Caincae quidem radix, a *Langsdorfii* recommandata et a *Francogallis* multis laudibus elata, in hoc morbo desperabili ullam spem explevit, misericordem me hercle adspectum aegrota nostra praebuit. — Respirandi difficultas gravissima nocturna eam privabit quiete; sumsit

igitur quoque vespere pulverem e digitalis herba cum Lactucae virosae extracto confectum, hac quidem forma:

Rec. Pulver. herb. digital. Gr. j.
Extracti lactuc. viros. Gr. x.
Sacch. albi ℈ß.
M. f. Pulvis.

Cujus effectu somnus per nonnullas horas aegrotam cepit. — Non multo post hydropico tumore aucto in abdomine extremitatibusque superioribus et inferioribus striae subcaeruleae marmoratae se oculis praebuerunt. Lanceola parvis incisionibus institutis, emanabat ex aperturis, quarum certe ad sexaginta numerare potuisses tanta humoris copia, ut jam post paucos dies hydropicus tumor omnino fere collapsus animadverteretur. Ast vero, quo felicius aegrota effluente aqua liberata est, eo celerius vires quamquam nullus incisus locus vehementi inflammatione infestaretur, infractae ac collapsae sunt; pulsus erat parvus, tensus et frequentissimus, facies pallida speciem Hippocraticae prae se ferens.

Rubefacti, nec nimis autem inflammati loci scarificati obtecti sunt hoc unguento:

Rec. Unguent. saturn. ℥j.
Camphor. trit. ℈ß.
M. exact. f. ungut.

Sensibilitate vulnerum magis aucta saturninum unguentum cum Zinci commutatum est. — Aegra

vehementi sese frigore torqueri conquesta est, cum sibi corpus ejus ardere sane potuisset videri; pulsus frequentia post vicesimam nonam diem mensis Octobris ita increvit, ut vix numerari posset, cum contra magnitudo ejus semper imminuta est. Ad vires valde debilitatas incitandas aegrotae datum est:

Rec. Moschi optimi Gr. iv.
Spiritus nitr. aether.
Liquor ammon. succ. $\overline{aa}$ ʒj.

M. D. S. Omni semihora guttulae quinque sumendae.

Verum enimvero animum ad Tartarum descendentem hoc quoque remedium retinere non potuit, mortua est XXXI die Octobris mensis.

Sectio cadaveris, pro dolor, institui non potuit.

LIBRI,

QUIBUS IN ELABORANDO THEMATE USUS SUM:

P. Alpinus — de medicina Aegyptiorum.

A. C. Celsi — de medicina.

Platnerus — in arte med. singulis morbis accommodata.

Thilenius — medicinische und chirurgische Bemerkungen.

Conradi — in *Loders* Journal für Chirurgie, Geburtshülfe und gerichtliche Arzneikunde. Bd. 2. p. 697.

M. Stoll — praelectiones in diversos morbos chronicos.

Monro — von der Wassersucht und ihren besonderen Gattungen, aus dem Englischen von *Krause*.

W. Sachtleben — Klinik der Wassersucht in ihrer ganzen Sippschaft.

B. Lentin — Beiträge zur ausübenden Arzneiwissenschaft Bd. 1. p. 183. Zweite Ausg. Leipz. 1797.

L. Müller — Dissert. inaug. medico-chir. de scarificatione et cucurbitulis. Berolini 1827.

G. C. Conradi — Dissert. inaug. medica de Hydrope. Göttingae 1789.

C. H. Schoene — Dissert. inaug. medica de Hydrope. Erfordiae 1802.

VITAE

ET STUDIORUM CURSUS.

Ego, *Otto Albrecht*, die XIX Mensis Februarii Anno MDCCCIX Allenburgi oppido Borussiae orientalis, patre optimo *Ludovico*, matre dilectissima *Louisa*, natus et evangelicae confessioni addictus sum. In Gymnasio, quod Rastenburgi floret directore *Krüger*, doctrinis omnibus, quae ad studia medica viam muniunt, imbutus sum. Mense Octobris Anni MDCCCXXVI Berolinum me contuli, ubi in numerum civium instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmani adscriptus, per quadriennium ad utriusque medicinae studia incubui et virorum Illustrissimorum et Celeberrimorum praelectionibus his interfui:

Cel. *Wolff* in Hodegetice, Logice et Psychologice; Illustr. *de Humboldt* in Geographia Physicali; Illustr.

Link in Historia naturali, Botanice, Toxicologia; Illustr. *Lichtenstein* in Zoologia; Cel. *Turte* in Physice, Chemia, Pharmacia; Illustr. *Hermbstädt* in Pharmacia et Chemia; Illustr. *Knape* in Osteologia, Splanchnologia, Syndesmologia, arte formulas medicas conscribendi; Illustr. *Rudolphi* in Encyclopaedia medica, Anatomia universa, nec non comparata, in arte cadavera rite dissecandi, in doctrina de Entozois et Physiologia; Cel. *Eck* in Physiologia; Illustr. *Fr. Hufeland* in Pathologia et Therapia tam generali, quam speciali, atque in Semiotice; Illustr. *Osann* in materia medica, inque doctrina de fontibus medicatis; Illustr. *Horn* in doctrinis de Pathologia speciali ac de morbis mentis; Illustr. *Wagner* in medicina forensi; Cel. *Casper* in arte formulas medicas concinnandi, ac in morbis infantum; Illustr. *Kluge* in Chirurgia generali, Akiurgia, in doctrina de fracturis et luxationibus ossium, in arte fascias imponendi, atque arte obstetricia; Cel. *Jüngken* in Ophthalmiatrice atque in Chirurgia universa; Cel. *Hecker* disputationum latina lingua de rebus medicis habendarum moderator exstitit. Idem *Celsi* de medicina libros mihi interpretatus est. Institutionibus clinicis interfui medicis virorum Illustr. *C. W. Hufeland*, *Bartels* et *Wolff*, chirurgicis Illustr. *de Gräfe* et *Rust*, ophthalmiatricis Cel. *Jüngken*.

Quibus studiis peractis medico-chirurgi inferioris munus in nosodochio caritatis Berolinensi per annum functus sum.

Jam tentaminibus, tam philosophico, quam medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine rite absolutis, spero fore, ut dissertatione thesi-

busque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores mihi concedantur. Quibus peractis, ad tertiam equitum hastatorum cohortem ob coercendam Choleram morbum ad Albim flumen castra tenentem, munus medici militaris inferioris suscepturus, me conferre jussus sum.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Arteriarum ligatura non est praeferenda torsioni.

II.

Incisionis majores in hydrope sunt rejiciendae.

III.

Morbi syphilitici mercurio citius, jucundius nec minus tuto, quam sine mercurio sanantur.

IV.

Certum virginitatis signum non existit.

V.

Diaeta modica est optimum prophylacticum contra Choleram Indicam.